



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

66. Ferdinandi Fratris Caroli V. Vicarij Imperij ad Clementem VII. PP.
aliosque Epistolæ, aduersus designatam vnionem Monasterij ad Mensam
Archiepiscopalem sub litt. A.B.C.D.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

ctione & tutelâ nostrâ, & maiorum nostrorum Ducum Burgundiæ & Luxemburgiæ. Et cum quidam Franciscus de Sickingen superiori anno validum exercitum contra Treuiros duceret, urbemque illam obsideret, habuit Castra sua apud Monasterium Sancti Maximini: Qua de causâ Archiepiscopus, & ipsi Cives Treuirenses tam ante, quam post obsidionem dicti Francisci illius Monasterij ædificia, & clarissima, vetustissimumque templum totum diruerunt, non sine graui nostrâ molestiâ. Nempe cum hoc Cœnobium sit illustre quoddam prædecessorum nostrorum monumentum, etiam non modo multos annos, sed etiam sæcula sub tutela maiorum nostrorum protectum atque defensum; Dolemus iure merito, quod nobis imperantibus hoc incommodum acceperit, verum quoniam illius Monachi probatæ & honestæ vitæ sunt, Ideo omnes cogitationes nostras eò coniecimus, vt idem Monasterium ad pristinum statum reducamus. Et quia non nihil Abbas & Conuentus illius vereri videntur, ne Archiepiscopus eorum Monasterium moliat, præcipuè quod ad incorporationem illius mensæ suæ Archiepiscopalis spectare videretur. Supplicamus S. V. etiam atque etiam vt diligenter animaduertat, ne ad cuiuscunque petitionem quippiam contra hoc ipsum Monasterium concedat, quod illis damnum aut incommodum possit asserre. Aut si forte quippiam huiusmodi ad sinistram alicuius informationem concessisset, hoc omne in priorem statum restituat, & dictum Monasterium, omnesque eius res & negotia vnâ nobiscum ita protegat, iuuet & foueat, vt domui illi & religione & antiquitate præstanti pristinam, Maiestatem & splendorem restituamus. In qua re S. V. rem Pontifice dignam, Deo Opt. Max. acceptam, & nobis longe gratissimam factura est, quam & bene valere & isti sacrosanctæ sedi diu præesse ex animo cupimus & optamus. Datum in Ciuitate nostra i. Septembris Anno MDXXIII. Regnorum nostrorum Romani quinto, Aliorum vero omnium octauo.

Eiusdem Sanctissimæ P. V.

Filius Carolus diuina fauente clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, vtriusque Siciliæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ & Comes Habsburg.

66.

Ferdinandi Fratris Caroli V. Vicarij Imperij ad Clementem VII. PP. aliosque Epistolæ, aduersus designatam unionem Monasterij ad mensam Archiepiscopalem litt. A.B.C.D. Anni MDXXIII.

A.

Ad Clementem VII. Pont. Max.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri ac Domino, Clementi Septimo, Sacrosanctæ Romanæ vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici, Domino meo clementissimo, &c.

Sanctissime ac Beatissime Pater &c. Cum nuper sacra Cæsarea & Catholica Maiestas Frater & Dominus noster clementissimus accepisset Archie-

pisco-

piscopum Treuirensē moliri apud suam Sedem Apostolicam, vt suæ mensæ Archiepiscopali Monasterium Sancti Maximi vniretur, perpenderetque id non solum in Romani Imperij, cui dictum Monasterium iure Aduocatiæ immediatè subiectum est, iacturam, verùm etiam in Ducatum nostrorum Burgundiæ & Luxemburgiæ, quorum peculiari protectioni idem cœnobium à multis annis addictum fuerit, præiudicium vergere, scripsit pro huiusmodi molimine impediendo, ad prædecessorem Beatitudinis vestræ felicis recordationis Adrianum Sextum iuxta copiam his inclusam, licet litteræ Maiestatis suæ non fuerint eidem redditæ iam vitâ functo Pontifice, dum frater ille, cui Cæsar litteras Beatitudini suæ exhibendas concesserat ad Anglicum litus appelleret, sed quia Cæsareæ Maiestatis animus planè est, hoc Monasterium, velut vetus Imperij monumentum, & Ducatibus Burgundiæ & Luxemburgiæ tuitione connexum omnino conseruari, ipsam verò Maiestatem suam propter mille discrimina viarum, bellorumque varietates denuo pro aliis litteris ad Beatitudinem vestram obtinendis periculosum foret accedere, & pariter in morâ (quæ nunquam non nocet) plus quoque damni verteretur: Idcirco, vt ego ipse de hoc negotio iam abundè edoctus fui, statim & debiti erga fratrem, & officij mei quo fungor, absente Maiestate suâ, esse putavi, Beatitudinem vestram nomine Maiestatis Cæsareæ, ac Imperialium lurium conseruationis, quæ in huiusmodi casibus ad quam maximè pertinent, intuitu, vt priuatæ defensionis Iuris (quod mihi cum Cæsare commune est) rationem præteream, enixius inhortari, studiosiusque precari; quod si apud eam nomine Treuir. Archiepiscopi quicquam machinatum, vel attentatum fuerit, vel fuisset pro impetratione dicti Monasterij, ne Sanctitas vestra ad id assensum præbeat. Et si quid fortè ab importunis sollicitatoribus in eam rem apud Adrianum, vel vestram Beatitudinem extractum fuisset, vt id cassare & annihilare dignetur. In quo illa proculdubio Deo Opt. Max. pro conseruatione verustæ religionis & Domus Dei, ac Cæsareæ Maiestati & Ducatibus Burgundiæ & Luxemburgiæ rem gratam & acceptam præstabit, pro mea virili etiam omni fideli officio & obseruantia erga eandem promerendam. Datum Nerinbergæ die 21. Mensis Ianuarij Anno 1524.

B.

Ad Ducem Sueffanum Oratorem Cæsareum.

FERDINANDVS.

Illustrissime & Consanguinee nostre charissime salutem. Quoniam Cæsareæ & Catholicæ Maiestatis animus, vt Monasterium Sancti Maximi apud Treuiri, velut vetus Imperij monumentum in pristino statu conseruetur, & ob id omnis impediatur innouatio, maximè circa incorporationem eius, mensæ Archiepiscopi Treuirensis, quæ apud Sedem Apostolicam attentari dicitur, sicut dilectio vestra ex Maiestatis suæ litterarum exemplari eidem per honorabilem Magistrum Petrum de Salamanca Consiliarium, & sollicitatorem nostrum exhibendo latius percipiet, quas ad foel. recordationis Adrianum Pontificem scripserat. Licet superueniente decessu suo reddi non potuerint, Idcirco nos Maiestatis suæ animo inhærentes, periculisque illis absque morâ prouideri cupientes in conformitatem ad modernum Sanctum Dominum nostrum scripsimus iuxta inclusam copiam, & licet dilectio vestra pro prudentia

sua

sua facilè colliget, quantum referat pluribus nominibus, vt incorporatio huiusmodi impediatur, vel iam obrenta rescindatur & tollatur: tum quia omnino nostrarum putamus esse partium, vt quam primum eandem admoneremus de hac re, duximus pariter operæ pretium illum hortari, vt vnà cum honorabili Petro de Salamanca Consiliario, & nostro istinc sollicitatore, huius negotij curam, & patrociniũ tam Cæsareæ Maiestatis quam nostri etiam contemplatione ita suscipiat, & complectatur, vt secundum Maiestatis suæ mentem dicti Monasterij negotia, atque res omnes, si etiam turbatæ forent, insolitis huiusmodi concessionibus & inuouationibus longè sub hoc tempore in hac natione grauissimis, in priorem statum restituantur; In quo dilectio vestra tam Maiestati Cæsareæ, quàm nobis ipsis quoque rem longè gratissimam efficiet, erga eam, dum dabitur occasio, compensandam. Datum Nerinbergæ die 21. Mensis Ianuarij Anno 1524.

C.

Ad D. Datarium.

Reuere[n]de, sincere, dilecte. Ex incluso exemplari litterarum Cæsareæ & Cathol. Maiestatis Domini & Fratris nostri colendissimi ad nuper sc̄l. recordationis Adrianum Sextum intelligetis, quantum cupiat, vt Monasterium Sancti Maximini apud Treuirim in pristino statu conseruetur, & simul latius cognoscetis & delatione Consiliarij, & sollicitatoris nostri Honorabilis Magistri Petri de Salamanca, quam ob rem nos in hac re partes nostras interposuimus. Cum autem eam de vobis opinionem conceperimus, quod sitis apud Sanctissimum Dominum Cæsareæ Maiestatis, & nostrarum etiam rerum lubenti animo patrociniũ suscepturi, neque vnquam scienter quid admissuri quod vergat in detrimentum tam Iurium sacri Imperij, quam præiudiciũ nostrum priuatum: Idcirco vos præsentibus duximus admonendos de mente Cæsareæ Maiestatis præfatæ hortando summopere, vt præcepta illa ex supraddicto Exemplari, tam ipsius Maiestatis Cæsareæ, quam etiam nostri contemplatione velitis negotium præfati Monasterij ita fouere, & sicut æquitas exigit, complecti: vt, si iam turbatum foret, suã operã & directione in priorem statum restituantur. In quo efficietis Cæs. Maiestati & nobis ipsis rem valde gratam: erga vos, dum dabitur occasio, compensandam. Datum 21. mensis Ianuarij, Anno 1524.

D.

*Ad Magistrum Petrum de Salamanca Consiliarium
& Agentem Cæsareum.*

Honorabilis, deuote, dilecte. Bina litterarum exemplaria in his inclusa receperis, quorum alterum est Cæsareæ & Catholicæ Maiestatis Domini & Fratris nostri clementissimi; alterum nostrarum litterarum ad Beatitudinem Pontificiam super impediendã incorporatione Monasterij Sancti Maximini prope Treuirim, quod Archiepiscopus Treuirensis mensæ suæ Ar-

P p

chiepi

chiepiscopali perpetuò vniri Apostolicâ authoritate contendere atque inniti dicitur; quantum autem hæc res sit contra mentem præfatæ Maiestatis atque in sacri Imperij, ac Ducatus Burgundiæ & Luxemburgiæ detrimentum, iacturamque vergat abundè ex dictis cognoscis exemplaribus: Iniungimus itaque tibi, vt intellecta eorundem series, vna cum Oratore. Cæsareo Illustrissimo Consanguineo nostro charissimo Duce Siceffano apud Beatitudinem præfatam, ita studium, operamque tuam adhibeas, quod huic incorporationi nullus detur locus. Denique Monasterij status, vt fuit ab immemoriabili tempore transmissus, ad præfati fratris nostri gubernacula conferuetur illæsus, scribimus annexas super eadem re ad Reuerendissimum Dominum D. Datarium, quem in hortamur, vt ad tuam requisitionem ac ipsius Oratoris Cæsarei ad sit fauore quoque suo, & adiumento. Expectantes responsum, quod opportunè per te ad nos referri cupimus, vt Illustrissimo Principi, Domino Philippo Marchioni Badensi Consanguineo nostro charissimo illud protinus communicemus, qui mandato sibi à Cæsarea Maiestate expressè facto nequaquam patietur præfato Archiepiscopo, etiam si impetrarit ab ista sede tradi possessionem. Datum vt supra.

67.

Caroli V. Imperatoris Diploma per Ferdinandum fratrem, expeditum Anno MDXXIII.

CAROLVS Quintus diuinâ fauente clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus; ac Rex Germaniæ, Castellæ, Arragoniæ, Legionis vtriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Nauarræ, Granatæ, Toleti, Valentiniæ, Galliciæ, Maioricarum, Hispalis, Sardinia, Cordubæ, Corsicæ, Murtiæ, Giennis, Algeroniæ, Algericæ, Gibraltario, Insularum Canariæ, Balearum & Indiarum, ac Terræ firmæ, Maris Oceani, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantia, Stiria, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Luxemburgiæ, Gheldriæ, Callabriæ, Athenarum, Neopatriæ, Wirtembergæ, &c. Comes Habsburgi, Flandriæ, Tirolis, Gorithiæ, Barchinonæ, Arthesiæ, Burgundiæ, &c. Comes Palatinus, Hannoniæ, Hollandiæ, Seelandiæ, Ferreris, Kiburgi, Namurci, Rossilonis, Cerinthaniæ & Zurphanæ, Landgravius Alfatæ, Marchio Sacri Romani Imperij super Anatum, & Burgouæ, Oristani, Gotziani, Princeps Sueuiæ, Cathalonæ, Asturiæ, &c. Dominus Phrisiæ, Marchiæ, Sclauonicæ, portus Naonis, Biscariæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis & Mechliniæ &c. Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus præsentibus. Cum sedulo nostrorum in Imperio antecessorum liberalitates, quibus Imperij sacri subditos omnium ordinum hætenus affici consueuerunt, perpendimus: Cænobia seu Monasteria, quorum Monastica exacteque vitæ professio, quoddam veræ religionis ac pietatis specimen præstat, non vulgaribus largitionibus ac dotationibus, imo speciali prærogatiuâ dignatos comperimus. Quamobrem attendentes incolæ Monasterij Sancti Maximini in suburbio Ciuitatis Imperialis Treuitorum in diuini cultus obseruantiam strenuè deuoto; nostro Imperiali muneri æquum esse ducimus, si ad Serenissimi Maximiliani Diuæ memoriæ Domini Aui ac immediati antecessoris nostri charissimi emulationem,